

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi  
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor  
Angelicus cum Melliflvo,)**


**Schweitzer, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.**

Dubium tertium. Quid sit peccatum originale secundùm Augustinum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39320**

etiam illud ambiguum est; quia nisi manducaverint homines corpus ejus, hoc est participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? his atque hujusmodi alijs testimonijs divina luce clarissimis, divina auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat; non solum in regnum Dei non baptizatos intrare non posse, sed nec vitam eternam posse habere prater Christi corpus, cui ut incorporentur, Sacramento Baptismatis imbuuntur?



## D V B I V M T E R T I V M.

*Quid sit peccatum originale, secundum Augustinum?*

**P**eccato antiquo, inquit Augustinus, l. de mor. Eccl. Cathol. c. 22. nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. Hinc in explicanda natura illius non tantum hæretici turpiter errarunt, sed etiam Doctores Catholici in varias abierunt sententias: quibus omissis, hic tantum examinabo, quid in hac gravissima controversia senserit Augustinus, quo post Apostolum nemo melius naturam originalis peccati exposuit. Procedit autem quæstio de peccato originali, prout intrinsecè afficit, & inficit personas parvorum, ex Adam naturali generatione descendentium. Quod addo, quia interdum accipitur peccatum

ori-

originale ab Augustino pro peccato Adæ, quo infecta fuit natura, & facta massa perditionis, ut constat ex l. 16. de civit. c. 17. Non *immerito parvulum propter originale peccatum*, quo dissipatum est primum Dei testamentum, generatio disperdet, nisi regeneratio liberet, &c. interibit anima illa de genere ejus, quia testamentum meum dissipavit, quando cum Adam, cum omnibus etiam ipse peccavit. Quod enim S. Pater ibi loquatur de actuali Adæ prævaricatione, colligitur ex vocibus, dissipatum, dissipavit, quibus actus significatur. Quo sensu etiam dicit l. 1. retract. c. 15. Peccatum originale esse primi hominis voluntate commissum. Similia habet epist. 107. & alibi.

Dico primò: Peccatum originale afficiens intrinsecè, & inficiens personas nascentium ex Adam, secundum Augustinum est concupiscentia cum reatu, ita ut concupiscentia se habeat quasi materiale peccati, reatus vero tanquam formale. Probatur prima pars: videlicet quod peccatum originale sit concupiscentia.

Primò ex l. 2. cont. Jul. c. 10. ubi S. Pater de concupiscentia dicit: *Non est hoc malum nuptiarum, sed primorum hominum peccatum in posteros propagatione trahit.*

Probatur secundò: ex l. 3. cont. eundem c. 21. ubi ait: *Malum originale dixi, cuius motibus mecum repugnas, & cuius contra me laudibus pugnas.*

Probatur tertio ex l. 6. cont. Jul. c. 15. Tale porro, ac tam magnum malum, tantum, quia inest, quomodo non teneat in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi & ejus vinculum in illa, qua sit in baptismo, remissione